



Breviarium Chronologicum Veteris Testamenti Rerum Gestarum

Ab Orbe condito Vsque ad Christum natum Synopses complectens.
Xenivm Academicæ Sodalitati Dominorum, B.M.V. Annuntiatae Herbipoli
oblatum

Sacerdotium Ducale ... - Complectens Synopses Sacræ & profanæ historiæ
à fine captivitatis Babylonicæ & Hebræorum Ducum ac Persicæ
Monarchiæ initio usque ad Christum natum

Gartner, Michael

Herbipoli, 1697

Eventus tragici & Signa.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-65122](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-65122)

excitavit, remansit enim templum à *Zorobabele* conditum, cujus gloria viso Christo erat futura celebrior juxta prophetam, quàm Salomonici, ideoq; fingit Josephus templum Herodianum, quod meritò ab omnibus Catholicis ut fabula exploditur.

Indi missis legatis suis fœdus cum Augusto sanxere Anno 4026. ante Chr. 26. adduxeruntq; tigres Indicas nondum in Græcia & Occidente visas. Tunc etiam coram Augusto legatorum unus dictus *Zamarus* Gymnosophistes Deorum suorum sacris initiatus sponte in ignes insiliit, & vanæ gloriæ obtulit ferale sacrificium.

— 95 90 — 95 90 — 95 90 — 95 90 — 95 90 — 95 90 — 90 90

§. 12. *Eventus Tragici* & *Signa.*

ANno m. 3884. ante Chr. 169. Hierosolymis visa sunt in cœlis portenta per 40. dies magnæ cladis prænuncia: equites videlicet in aëre discurrentes, & exercitus inter se congressi

gressi, adeo ut re ipsa hic bellum geri videretur, cuius repræsentatio tantum terroris, quantum postea bellum ipsum damni intulit.

Anno m. 3839 ante Chr. 214. ingens in Ægypto persecutio Judæorum à *Philopatro* inchoata, quâ eos ad Ægyptios ritus adigere voluit, edicto promulgato, ut quisquis renueret, omni libertate & dignitate privatus stigmaticus fieret in isto hederæ folio in fronte, quod Bacchi insigne erat. Multi propterea defecerunt; qui verò perseverabant, in eos ultimò etiam mortis sententia lata est, quam Deus mirabiliter avertit.

Alexandriæ in hunc finem in hippodromo constituti prætereuntium omnium irrisionibus expositi fuerunt. *Hermioni* quoque Præfecto elephantorum mandatum est, ut elephantos numero 500. thure in merum infuso potatos, eâque portione efferatos in Judæos immitteret ab ijs proterendos & discerpandos; immissi jam erant ministri, qui Judæos manibus colligarent, sub crepusculum matutinum feris obijciendos; sed Judæorum ploratus ad Deum, avertit malum; tantum enim Deus soporem regi immisit, ut ad horam decimam usque illius diei feralis, non expergesceret, donec congregatis, qui ad coævivium præmoniti erant, à cubiculario excitatus ad

ad convivandum versus est, accitoque *Hermoni* imperavit elephantos in sequentem diem parari, eademque portione iterum efferari in crastinum; ad fuit secundus dies, ad fuit exercitus elephantorum, ad fuit etiam *Hermon*, qui regem monuit, parata esse omnia: at rex divinitus in oblivionem præteritorum adductus, interrogabat quodnam id esset negotium quod ageretur? iratus insuper *Hermoni* & Sociis Judæorum inimicis, eos objurgavit, Judæos autem plurimum laudatos, liberos omnes dimisit. Non multo post rediens ad suum ingenium rex instaurato convivio jubet tertio parari elephantos, multo quam prius in Judæos ferocior, adit spectaturus rex cum proceribus, prodeunt elephantis, prodeunt armati exercitus, & clamor horridus bellarum Judæos de imminente exitio monet; his vero ad lachrymas iterum precesque confugientibus visi sunt duo terribiles Angeli cælo descendere, omnibus præterquam Judæis manifesti, qui Ægyptios ita perturbârunt, ut quasi constricti vinculis imobiles hærent, rex quoque totus exhorresceret: ex quo horrore animum commutatus, feritatem deposuit, quin & bellum in exercitum armatum convertit eos pedibus prostraverunt. Rex quoque Judæorum Deum agnoscens, & vereri incipiens, eos septem dierum convivio excepit: quibus expletis potestatem eis dedit, omnes apostatas Judæos interficiendi, quorum illi supra trecentos occiderunt; denique Ptolomaidem regressi, ibidem festos dies instituerunt, & suam quique domum cum gaudio repetiverunt.

Anno m. 3776. ante Chr. 277. Duce *Brenno* sacrilegi Galli severissime puniti sunt: *Brennus* enim vel dux vel rex eorum cum 150. millibus in Macedoniam

niam irrumpens, & occiso *Sosthene* rege omnia sacra & prophana ever-
tens Delphicum quoq; templum ditif-
simum invasit, joculariter idenditem
repetens, *Deos locupletes hominibus li-
berales esse oportere*. Sed ab hominibus
lapidibus, & à Dijs terræ motu, tem-
pestate & fulminibus ita percussus est,
ut fere omnes suos perdiderit, & vul-
neratus ipse præ doloris vehementia
violentas manus sibimet intulerit, suis
antè præmonitis, ut *Cichorium* sibi re-
gem successorem crearent. *Cichorius*
autem rex creatus, omnes quotquot
à tempestate illa vulnere aliquo affe-
cti, vel attriti languerent, ad viginti
scilicet millia crudelissimè trucidavit
ex tanto numero 150. millium Gallo-
rum, nonnisi decem millia ex Mace-
donia reduxit; sed & isti à populis
omnibus, per quos transeundum erat
in Galliam, cæsi miserè omnes periè-
runt. Ita dijs suis etiam inanibus in-
sultare Ethnicis perniciosum erat.

Anno m. 3928, ante Chr. 125. mons
Æthna

Æthna primùm magno motu concussus, postea globos igneos iugentes, scopulis ignitis permixtos evomuit, & paulò post mare circa Liparam Insulam sic efferbuit, ut adustas rupes dissolverit, navium ceram picemq; liquefecerit, exanimârit pisces atque nautas, nisi qui statim effugêrunt cum ingenti Insulanorum metu ac stupore.

Anno m. 4043. ante Chr. 10. *Druiso* armis suis Germanos infestante, tantus harum gentium furor fuit, ut etiam mulieres armatæ castra propugnarent, & deficientibus telis in Romanorum ora prius collisos humi liberos proijcerent, in singulis filiorum necibus bis parricidæ factæ.

Anno m. 4010. ante Chr. 43. post cædem Julij Cæsaris Octavianus ludos suis sumptibus Romæ instituit in honorem defuncti Cæsaris, quos cum exhiberet, totos septem dies stella crinita apparuit in cælo, quam vulgus animam Cæsaris in cælum recepti opinabatur.

Anno m. 3955. ante Chr. 98. Alexandro Jannæi in Judæa regnante, magnâ crudelitate in Judæos à Lathuro Ægypti rege de-

lævi-

sævitum, triginta millia illorum occisa, & Judæi captivi magno numero interfectorum carnibus vesci coacti sunt, & hæc quidē tunc temporis a Lathuro perpeffi sunt, sed à proprio etiam rege Jannæo (regem is se nominari voluit, & non suūm sacerdotem, quia Saducæus erat, & sacerdotis nomen pro abjecto & pudendo habebat) crudeles persecutiones passi sunt: cū enim hæreticus esset (quod idem est ac Saducæus) Catholicorum sex millia interfecit, septingentos Phariseos crucifixit, & plurimos Judæos in fugam convertit, quanquam tyrannus efficere non potuit, quin plebs maneret catholica, & Phariseorum cathedram sequeretur.

Anno m. 3977. ante Chr. 76. uti refert S. Augustinus lib. 3. de civitate Dei cap. 15. metuenda prodigia in Italia visa fuerunt: nam canes, equi, boves, asini, & alia quoque animalia humanis usibus subdita, subito ita ubique efferata, & pristinæ lenitatis oblita sunt, ut relictis dominis libera vagarentur, nec hominum ullorū accessum paterentur.

Anno m. 3935. ante Chr. 118. ut refert S. Augustinus lib. 3. de civitate Dei cap. 31. tanta fuit locustarum multitudo in Africa, ut non solum segetes & folia, sed etiam cortices arborum corroderent, quibus consumptis vehementissimo vento in Africanum pelagus demersæ sunt, quarum corpora ad littus rejecta, ibidemque putrefacta

tam pestiferum foetorem exhalârunt, ut omnes ferè aves & pecudes emortuæ sint, Afrorum autem hominum ducenta millia, & Romanorum, qui illic in præsidijs collocati erant, triginta millia interiêrint.

Antequam Octavianus Augustus succederet Cæsari, inter alia portenta contigit Romæ, ut bos in suburbano ad aratorem, à quo flagellis impellebatur, conversus inciperet loqui, diceretque: frustra urges me, non enim frumenta, sed homines brevi deficient.

Anno m. 4052. qui fuit annus salutis, præter alia signa passim in orbe terrarum visa, Romæ in trans-Tyberina regione fons olei in taberna quâdam per totam diem effluxit; eodemque die circulus aureus circa solem apparuit; & tres soles visi sunt, qui brevi in unum coaluerunt. Romuli statua & Pacis templum corruit. Stella denique visa est à Magis in oriente, à qua melior mundo Dominus venturus nunciabatur

JESUS CHRISTUS

Natus ex virgine in Bethlem Judæ
Anno m. 4052. Imperij Romani 47.
regni *Herodis* 36. & 39 *Matthia Pontificis*, 2. Præsidibus Syriæ *Varo & Corino*,
Olymp. CXCIV. an 3. urbis conditæ

usq; ad an. mundi 4052. 471

751. consulibus *Augusto* decimo ter-
tiod *M. Plantio Sylvano*, Imperij *Augu-*
sti 42. Ante mortem *Augusti* decimo
quinto, nativitate sua adimplens va-
ticiuium *Danielis* cap. 2. v. 34. & 35.

Lapis abscissus est de monte sine mani-
bis, & percussit statuam quatuor Mo-
narchiarum in pedibus ferreis & fictilibus,
& comminuit eos, & contrita pariter sunt
ferrum, testa, as, argentum & aurum, &
reducta quasi in favillam a stiva area, qua
rapta sunt vento, nullusque locus inventus
est eis, lapis autem, qui percusserat statu-
am factus est mons magnus, & implevit
universam terram est enim.

COELI ET TERRÆ SUMMUS
MONARCHA
PRIMUS ET ULTIMUS

Cujus regni non erit

FINIS.

